DE SACRA COMMUNIONE ET DE CULTU MYSTERII EUCHARISTICI EXTRA MISSAM

DE SACRA COMMUNIONE
ET DE CULTU
MYSTERII EUCHARISTICI
EXTRA MISSAM



RITUALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI
CONCILII VATICANI II INSTAURATUM
AUCTORITATE PAULI PP. VI PROMULGATUM

DE SACRA COMMUNIONE
ET DE CULTU
MYSTERII EUCHARISTICI
EXTRA MISSAM

EDITIO TYPICA

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIII

prima editio, 1973
reimpressio emendata, 1974

SACRA CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. n. 900/73

DECRETUM

Eucharistiæ sacramentum, tamquam spiritalem fidelium alimoniam et æternæ vitæ pignus, Christus Ecclesiæ, dilectæ sponsæ suæ, concredidit, quod ipsa cum fide et caritate iugiter accipit.

Celebratio Eucharistiæ in Missæ sacrificio vere est origo et finis cultus, qui eidem extra Missam exhibetur. Sacræ vero species post Missam propterea præcipue asservantur, ut fideles, qui Missæ interesse non possunt, præsertim infirmi et ætate provecti, per communionem sacramentalem Christo eiusque sacrificio, quod in Missa immolatur, uniantur.

Conservatio sacrarum specierum, quæ ob communionis susceptionem fieri consuevit, induxit morem hoc sacramentum adorandi eique cultum latriæ, qui Deo debetur, tribuendi. Qui quidem adorationis cultus valida firmaque ratione nititur. Quin immo quædam eius formæ publicæ et communitariæ ab ipsa Ecclesia sunt institutæ.

Ritu igitur Missæ instaurato et, per Instructionem *Eucharisticum mysterium*, die 25 mensis maii anno 1967 editam, normis propositis « de practica ordinatione cultus huic sacramento etiam post Missam debiti deque eiusdem compositione cum recta ordinatione sacrificii Missæ ad mentem præscriptionum Concilii Vaticani II et aliorum hac de re

Apostolicæ Sedis documentorum »,[1] Sacra Congregatio pro Cultu Divino ritus, qui inscribuntur *De sacra communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam,* recognovit.

Qui quidem, a PAULO PP. VI approbati, nunc vulgantur hac editione, quæ typica declaratur, ut loco rituum in Rituali Romano nunc exstantium assumantur et statim adhiberi possint lingua Latina, lingua autem vernacula a die, quem Conferentiæ Episcopales pro sua dicione statuerint, postquam interpretationem popularem confecerint confirmationemque ab Apostolica Sede obtinuerint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Sacræ Congregationis pro Cultu Divino, die 21 iunii 1973, in sollemnitate Corporis et Sanguinis Christi.

ARTURUS Card. TABERA
Præfectus

✠ A. BUGNINI
Archiep. tit. Diocletianensis
a Secretis

[1] S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* n. 3g: *A.A.S.* 59 (1967), p. 543.

DE SACRA COMMUNIONE
ET DE CULTU MYSTERII EUCHARISTICI
EXTRA MISSAM

PRÆNOTANDA GENERALIA

I. DE RATIONIBUS QUÆ INTER CULTUM EUCHARISTICUM EXTRA MISSAM ET CELEBRATIONEM EUCHARISTICAM INTERCEDUNT

1. Eucharistiæ celebratio centrum est totius christianæ vitæ, cum pro universa Ecclesia tum pro eiusdem Ecclesiæ congregationibus localibus. Nam « cetera sacramenta, sicut et omnia ecclesiastica ministeria, et opera apostolatus, cum sacra Eucharistia cohærent et ad eam ordinantur. In sanctissima enim Eucharistia totum bonum spiritale Ecclesiæ continetur, ipse scilicet Christus, Pascha nostrum panisque vivus per carnem suam Spiritu Sancto vivificatam et vivificantem vitam præstans hominibus, qui ita invitantur et adducuntur ad seipsos, suos labores cunctasque res creatas una cum ipso offerendos ».[1]

2. Insuper « celebratio Eucharistiæ in Missæ sacrificio vere est origo et finis cultus qui eidem extra Missam exhibetur ».[2] Christus enim Dominus, qui « in ipso sacrificio Missæ immolatur cum sacramentaliter incipit præsens adesse tamquam spiritalis fidelium alimonia sub speciebus panis et vini », etiam « sacrificio oblato, dum Eucharistia in ecclesiis vel oratoriis asservatur, est revera Emmanuel, id est " nobiscum Deus ". Nam die ac nocte in medio nostri est, in nobis habitat plenus gratiæ et veritatis ».[3]

3. Nemini proinde dubitare licet « quin omnes christifideles pro more in catholica Ecclesia semper recepto latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum ».[4]

[1] Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum ordinis,* n. 5.
[2] S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* n. 3e: *A.A.S.* 59 (1967), p. 542.
[3] *Ibid.,* n. 3b: *l. c.,* p. 541; Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium fidei,* prope finem: *A.A.S.* 57 (1965), p. 771.
[4] S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* n. 3f: *A.A.S.* 59 (1967), p. 543.

4. Ad pietatem erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum recte ordinandam et alendam, mysterium eucharisticum tota sua amplitudine considerandum est tam in celebratione Missæ quam in cultu sacrarum specierum, quæ post Missam ad extensionem gratiæ sacrificii asservantur.[5]

II. De fine asservandæ Eucharistiæ

5. Primarius ac primigenius finis asservandæ Eucharistiæ extra Missam est administratio Viatici; secundarii vero fines sunt communio distribuenda atque adoratio Domini nostri Iesu Christi in Sacramento præsentis. Etenim sanctarum specierum conservatio pro infirmis laudabilem induxit morem adorandi cælestem hanc dapem quæ in templis reponitur. Qui quidem adorationis cultus valida firmaque ratione nititur, maxime quia fides in præsentiam realem Domini connaturaliter ad eiusdem fidei externam et publicam manifestationem conducit.[6]

6. In celebratione Missæ præcipui illi modi quibus Christus præsens adest in Ecclesia sua gradatim clarescunt, quatenus primo præsens adest in ipso cœtu fidelium, in suo nomine congregato: deinde vero in verbo suo, cum Scriptura in ecclesia legitur et explanatur; necnon in persona ministri; demum ac quidem maxime, sub speciebus eucharisticis. Etenim in Eucharistiæ sacramento, modo omnino singulari, adest totus et integer Christus, Deus et homo, substantialiter et continenter. Quæ præsentia Christi sub speciebus « realis dicitur non per exclusionem, quasi aliæ reales non sint, sed per excellentiam ».[7]

Unde, ratione signi, magis congruit naturæ sacræ celebrationis ut in altari ubi Missa celebratur præsentia eucharistica Christi, quæ fructus est consecrationis et ut talis apparere debet, non adsit, quantum fieri potest, iam ab initio Missæ per asservationem sanctarum specierum in tabernaculo.[8]

7. Hostiæ consecratæ, ea quantitate quæ infirmorum et aliorum fidelium communioni extra Missam satis esse possint, frequenter renoventur et in pyxide seu vasculo serventur.[9]

[5] Cf. *ibid.*, n. 3g: *l. c.*, p. 543.
[6] Cf. *ibid.*, n. 49: *l. c.*, pp. 566-567.
[7] Paulus VI, Litt. Encycl. *Mysterium fidei: A.A.S.* 57 (1965), p. 764; cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* n. 9: *A.A.S.* 59 (1967), p. 547.
[8] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* n. 55: *A.A.S.* 59 (1967), pp. 568-569.
[9] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis,* nn. 285 et 292.

8. Curent pastores ut ecclesiæ et oratoria publica, ubi ad normam iuris sanctissima Eucharistia asservatur, cotidie saltem per plures horas, tempore diei opportuniore, pateant, ut facile coram sanctissimo Sacramento fideles orare valeant.[10]

III. De loco asservandæ Eucharistiæ

9. Locus sanctissimæ Eucharistiæ asservandæ vere præcellens sit. Valde commendandum est ut ad privatam adorationem et precationem idoneus simul evadat, ita ut fideles facile et fructuose, etiam privato cultu Dominum in Sacramento præsentem honorare non desinant.

Quod facilius obtineri potest, quando sacellum paratur a media aula seiunctum, præsertim in illis ecclesiis ubi matrimonia aut funera frequentius occurrunt, et in illis, quæ ratione peregrinationum vel ob thesauros artis et historiæ a multis invisuntur.

10. Sanctissima Eucharistia asservetur in tabernaculo solido, non transparenti atque inviolabili. De more in singulis ecclesiis unicum tabernaculum habeatur, aut super altare positum aut, de iudicio Ordinarii loci, extra altare sed in parte ecclesiæ pernobili et rite ornata.[11]

Clavis tabernaculi, in quo sanctissima Eucharistia asservatur, diligentissime custodiri debet a sacerdote qui ecclesiæ vel oratorii curam habet, vel a ministro extraordinario cui facultas distribuendi sacram communionem data est.

11. Præsentia sanctissimæ Eucharistiæ in tabernaculo significetur conopæo vel alio modo apto a competenti auctoritate definito.

Secundum traditam consuetudinem, ut signum honoris qui Domino adhibetur, lampas, oleo vel cera nutrienda, iuxta tabernaculum perenniter ardeat.[12]

IV. De iis quæ Conferentiis Episcopalibus competunt

12. Conferentiis Episcopalibus competit, in Ritualibus particularibus apparandis, ad normam Constitutionis de sacra Liturgia (n. 63b), hunc Ritualis Romani titulum accommodare singularum regionum necessitatibus, ut, actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet adhibeatur.

[10] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium*, n. 51: *A.A.S.* 59 (1967),
[11] Cf. *ibid.*, nn. 52-53: *l. c.*, pp. 567-568.
[12] Cf. *ibid.*, n. 57: *l. c.*, p. 569.

Qua in re Conferentiarum Episcopalium erit:

a) sedulo et prudenter considerare quænam elementa, si quæ habeantur, ex traditionibus populorum retineri aut admitti possint, dummodo cum spiritu sacræ Liturgiæ componi queant; ideoque aptationes, quæ utiles vel necessariæ existimantur, Apostolicæ Sedi proponere, de ipsius consensu introducendas;

b) versiones textuum parare, ita ut indoli variorum sermonum atque ingenio culturarum vere accommodentur, aliis textibus, præsertim pro cantu, opportunis melodiis, forte additis.

Textus Psalmorum et Novi Testamenti citantur iuxta editionem Pontificiæ Commissionis pro Nova Vulgata Bibliorum editione.

Textus liturgici, qui pro viro ponuntur, aptari possunt pro muliere, mutato genere, vel pro pluribus, mutato numero.

CAPUT I

DE SACRA COMMUNIONE EXTRA MISSAM

PRÆNOTANDA

I. De rationibus quæ inter communionem extra Missam et sacrificium intercedunt

13. Perfectior celebrationis eucharisticæ participatio est sacramentalis communio infra Missam recepta. Quod clarius, ratione signi, elucet, cum fideles post communionem sacerdotis ex eodem sacrificio Corpus Domini sumunt.[1] Proinde panis recenter confectus, pro fidelium communione, in qualibet celebratione eucharistica de more consecretur.

14. Fideles adducendi sunt, ut in ipsa celebratione eucharistica communicent.

Sacerdotes tamen fidelibus petentibus sacram communionem etiam extra Missam dare ne renuant.[2]

Immo decet eos qui impediuntur ne celebrationi eucharisticæ communitatis intersint, Eucharistia sedulo refici, et hoc modo non solum sacrificio Domini sed etiam eidem communitati unitos et fratrum caritate suffultos se sentiant.

Animarum pastores curent ut infirmis et ætate provectis, licet graviter non ægrotent neque mortis periculum eis immineat, frequenter, immo, quantum fieri potest, cotidie, præsertim tempore paschali, præbeatur copia Eucharistiam sumendi. Iis autem qui eam sub specie panis recipere nequeunt, licet sub specie tantum vini ministrare.[3]

15. Sedulo doceantur fideles se, etiam cum communionem extra Missæ celebrationem sumunt, intime uniri cum sacrificio, quo sacrificium crucis perpetuatur, et participes esse illius sacri convivii in quo, « per communionem Corporis et Sanguinis Domini, populus Dei bona sacrificii paschalis participat, renovat novum fœdus semel in sanguine Christi a Deo cum hominibus factum, et in fide et spe convivium eschatologicum in regno Patris præfigurat et prævenit, mortem Domini annuntians donec veniat ».[4]

[1] Cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium,* n. 55.
[2] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* n. 33a: *A.A.S.* 59 (1967), pp. 559-560.
[3] Cf. *ibid.,* n. 40-41: *l. c.,* pp. 562-563.
[4] *Ibid.,* n. 3a: *l. c.,* pp. 541-542.

II. De tempore sacram communionem extra Missam ministrandi

16. Sacra communio extra Missam quolibet die et qualibet diei hora dari potest. Decet tamen horas pro distribuenda sacra communione, attenta fidelium utilitate, præfiniri, quo forma pleniore sacra celebratio peragatur cum maiore fructu spiritali fidelium.

Attamen:

a) feria V Hebdomadæ sanctæ, sacra communio distribui potest tantummodo infra Missam; infirmis vero deferri valet quacumque diei hora;

b) feria VI in Passione Domini, sacra communio distribuitur unice inter celebrationem Passionis Domini; infirmis autem, qui hanc celebrationem participare nequeunt, quacumque diei hora deferri potest;

c) Sabbato sancto, sacra communio dari potest solummodo ad modum Viatici.[5]

III. De ministro sacræ communionis

17. Est imprimis sacerdotis et diaconi sacram communionem fidelibus eam petentibus ministrare.[6] Omnino ergo convenit ut huic ministerio sui ordinis convenientem partem temporis, secundum fidelium necessitatem, tribuant.

Acolythi rite instituti præterea, qua ministri extraordinarii, est sacram communionem distribuere quoties presbyter vel diaconus desunt vel propter adversam valetudinem, provectam ætatem, vel pastorale ministerium impediuntur aut quoties numerus fidelium ad sacram mensam accedentium adeo ingens est, ut Missæ aliusve actionis sacræ celebratio nimis protrahatur.[7]

Aliis ministris extraordinariis facultatem distribuendi sacram communionem Ordinarius loci dare potest, quoties id pro utilitate pastorali fidelium necessarium visum fuerit, et sacerdos aut diaconus aut acolythus præsto non sint.[8]

[5] Cf. Missale Romanum, ed. typica 1970: *Missa vespertina in Cena Domini*, p. 243; *Celebratio Passionis Domini*, p. 250, n. 3; *Sabbato sancto*, p. 265.

[6] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium*, n. 31: *A.A.S.* 59 (1967), pp. 557-558.

[7] Cf. Paulus VI, Litt. Apost. *Ministeria quædam*, 15 augusti 1972, n. VI: *A.A.S.* 64 (1972), p. 532.

[8] Cf. S. Congr. pro disciplina Sacramentorum, Instr. *Immensæ caritatis*, 29 ianuarii 1973, 1, I et II: *A.A.S.* 65 (1973), pp. 265-266.

IV. De loco communionis extra Missam distribuendæ

18. Locus, in quo de more sacra communio extra Missam distribuitur, est ecclesia vel oratorium in quo Eucharistia habitualiter celebratur vel asservatur, aut ecclesia vel oratorium aliusve locus in quo communitas localis habitualiter convenit ad cœtum liturgicum diebus dominicis aliisve diebus agendum. Attamen aliis in locis, domibus privatis non exclusis, sacra communio dari potest, quando agitur de ægrotis, captivis aliisve, qui sine periculo vel gravi difficultate egredi nequeunt.

V. De nonnullis servandis in sacra communione distribuenda

19. Cum sacra communio in ecclesia vel oratorio ministratur, super altare tobalea coopertum ponatur corporale; duo autem cerei accendantur in signum venerationis et festivi convivii.[9] Patina adhibeatur.

Cum vero sacra communio aliis in locis ministratur, mensa conveniens paretur tobalea cooperta; prævideantur etiam cerei.

20. Minister sacræ communionis, si est presbyter vel diaconus, alba vel superpelliceo super veste talari sit indutus, et stolam assumat.

Alii vero ministri aut vestem liturgicam in sua regione forte traditam assumant, aut vestem quæ huic ministerio non dedeceat et ab Ordinario probatam.

Eucharistia pro communione extra ecclesiam ministranda, theca vel alio vasculo clauso deferatur, veste et modo iuxta locorum adiuncta convenientibus.

21. In sacra communione distribuenda servetur consuetudo deponendi panis consecrati particulam in lingua communionem suscipientium, quia in tradito plurium sæculorum more innititur.

Conferentiæ tamen Episcopales decernere valent, actis ab Apostolica Sede confirmatis, ut in sua dicione, sacra communio distribui possit etiam consecratum panem in fidelium manibus deponendo, dummodo quodvis precaveatur periculum ne reverentiæ defectus vel

[9] Cf. Missale Romanum, *Institutio generalis*, n. 269.

falsæ de sanctissima Eucharistia opiniones irrepant in animos fidelium.[10]

Ceterum, christifideles doceri oportet Iesum Christum Dominum esse et Salvatorem eique sub speciebus sacramentalibus præsenti eundem deberi latriæ seu adorationis cultum, qui Deo tribuendus est.[11]

In utroque casu, sacra communio distribui debet a competenti ministro, qui panis consecrati particulam communicanti ostendat et porrigat, formulam Corpus Christi dicendo, cui fidelis respondet Amen.

Quod vero attinet ad distributionem sacræ communionis sub specie vini, ad amussim serventur normæ, quæ continentur in Instructione *Sacramentali Communione* diei 29 iunii 1970.[12]

22. Fragmenta quæ post communionem forte remanserint reverenter colligantur et in pyxidem immittantur vel in vasculo cum aqua demittantur.

Item, si communio sub specie vini ministratur, calix vel aliud vasculum ad hoc adhibitum aqua abluatur.

Aqua vero pro ablutionibus adhibita, aut sumatur aut loco convenienti infundatur.

VI. De dispositionibus ad sacram communionem suscipiendam

23. Eucharistia, quæ mysterium paschale Christi inter homines continue repræsentat, est fons totius gratiæ et remissionis peccatorum. Attamen qui corpus Domini suscipere intendunt, ut sacramenti paschalis fructus percipiant, pura conscientia et rectis animi dispositionibus ad illud accedere debent.

Propterea Ecclesia præcipit « ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quamtumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat ».[13] Quod si urgeat necessitas ac copia confessarii illi desit, actum perfectæ contritionis prius eliciat cum proposito singillatim confitendi debito tempore peccata mortalia, quæ in præsens confiteri nequeat.

[10] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. *Memoriale Domini,* 29 maii 1969: *A.A.S.* 61 (1969), pp. 541-555.

[11] Cf. S. Congr. de disciplina Sacramentorum, Instr. *Immensæ caritatis,* 29 ianuarii 1973, n. 4: *A.A.S.* 65 (1973), p. 270.

[12] Cf. n. 6: *A.A.S.* 62 (1970), pp. 665-666.

[13] Cf. Conc. Trid., sessio XIII, Decr. de Eucharistia, 7: DS 1646-1647; *ibid.,* sessio XIV, *Canones de sacramento Pœnitentiæ,* 9: DS 1709; S. Congr. pro Doctrina Fidei, *Normæ pastorales circa absolutionem sacramentalem generali modo impertiendam,* 16 iunii 1972, prœm. et n. VI: *A.A.S.* 64 (1972), pp. 510 et 512.

Qui vero cotidie aut sæpius communicare solent, expedit ut æquis temporibus, pro singulorum condicione, ad sacramentum Pænitentiæ accedant.

Ceterum fideles Eucharistiam aspiciant etiam tamquam antidotum quo liberentur a culpis cotidianis et a peccatis mortalibus præserventur; sciant insuper aptam rationem qua partibus pænitentialibus liturgiæ, Missæ præsertim, uti valeant.[14]

24. Communicandi Sacramentum ne recipiant, nisi spatio unius horæ ieiunii sint cibis solidis et potibus, aqua excepta.

Tempus ieiunii eucharistici seu abstinentiæ a cibo vel potu alcoholico redigitur ad quartam circiter horæ partem pro:

1) infirmis in valetudinariis vel domibus degentibus, etiamsi non decumbant;

2) fidelibus ætate provectioribus, sive qui ob senectutem domi detineantur, sive in gerontocomio incolant;

3) sacerdotibus infirmis, etsi non decumbunt, vel ætate provectis, sive sint Missam celebraturi sive sacram communionem recepturi;

4) personis curæ infirmorum vel senum addictis eorumque propinquis una cum illis sacram communionem recipere cupientibus, quoties sine incommodo ieiunium unius horæ observare non possint.[15]

25. Unio cum Christo, ad quem ipsum sacramentum ordinatur, ad totam vitam christianam est protrahenda, ita ut christifideles, donum receptum continenter fide contemplantes, vitam cotidianam sub ductu Spiritus Sancti in gratiarum actione agant, et fructus uberioris caritatis afferant.

Quo autem facilius in hac gratiarum actione, quæ in Missa modo præclaro Deo exhibetur, permaneant, commendatur singulis qui sacra communione refecti sunt, ut per aliquod temporis spatium in oratione persistant.[16]

[14] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium*, n. 35: *A.A.S.* 59 (1967), p. 561.

[15] Cf. S. Congr. pro disciplina Sacramentorum, Instr. *Immensæ caritatis*, 29 ianuarii 1973, n. 3: *A.A.S.* 65 (1973), p. 269.

[16] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium*, n. 38: *A.A.S.* 59 (1967), p. 562.

ORDO AD SACRAM COMMUNIONEM EXTRA MISSAM DISTRIBUENDAM

1. RITUS CUM AMPLIORE VERBI DEI CELEBRATIONE CONIUNCTUS

26. Hæc forma præcipue adhibenda est, cum celebratio Missæ non habetur, vel sacra communio horis præfinitis distribuitur, ita ut fideles mensa quoque verbi Dei alantur. Verbum enim Dei audientes, ipsi agnoscunt eius mirabilia, quæ annuntiantur, fastigium in mysterio paschali attingere, cuius memoriale in Missa sacramentaliter celebratur, quodque per communionem participant. Insuper verbum Domini suscipientes eoque nutriti, in gratiarum actione ad fructuosam participationem mysteriorum salutis inducuntur.

Ritus initiales

27. Fidelibus congregatis, omnibusque ut supra (nn. 19-20) dictum est dispositis, minister astantes salutat.

Si est sacerdos vel diaconus, dicit:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi, et cáritas Dei,
et communicátio Sancti Spíritus sit cum ómnibus vobis.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

vel:

Dóminus vobíscum.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

Si vero minister non est sacerdos vel diaconus, astantes salutat his vel similibus verbis:

Dóminum, fratres, benedícite, qui nos (vel: vos) ad mensam Córporis Christi benígnus invítat.

Omnes respondent:

Benedíctus Deus in sǽcula.

Alia formula salutationis ad libitum, n. 189.

Adhiberi possunt etiam alia verba e sacra Scriptura, quibus ex consuetudine fideles salutantur.

28. Fit deinde actus pænitentialis. Minister communicandos invitat ad pænitentiam, dicens:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra, ut apti simus ad hanc sacram celebratiónem participándam.

Et fit brevis pausa silentii. Postea omnes simul faciunt confessionem:

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres,
quia peccávi nimis
cogitatióne, verbo, ópere et omissióne:

et percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem,
omnes Angelos et Sanctos,
et vos, fratres, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

Minister concludit:

Misereátur nostri omnípotens Deus
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Omnes respondent:

Amen.

Aliæ formulæ actus pænitentialis ad libitum, nn. 190-191.

Celebratio verbi Dei

29. Fit deinde celebratio verbi, quæ eadem ratione ac in Missa peragitur. Textus sumuntur pro opportunitate aut e liturgia diei, aut e lectionibus quæ pro Missis votivis de sanctissima Eucharistia (*Lectio-*

narium III, pp. 820-841) aut de Pretiosissimo Sanguine Iesu (*Ibidem*, pp. 851-861) proponuntur et nn. 113-153 huius Ritualis indicantur. Seligi possunt etiam, pro opportunitate, alii textus peculiaribus rerum adiunctis aptiores e Lectionario, præsertim lectiones Missæ votivæ de Sacratissimo Corde Iesu, ut infra nn. 154-188 indicatur.

Adhiberi autem possunt una vel plures lectiones, prout opportunum visum fuerit. Post primam lectionem ponatur psalmus vel alius cantus, cuius loco tamen etiam sacrum silentium servari potest.

Celebratio verbi concluditur oratione universali.

Sacra communio

30. Expleta oratione universali, minister accedit ad locum ubi Eucharistia asservatur, accipit vasculum vel pyxidem cum Corpore Domini, illud super altare deponit et genuflectit. Deinde orationem dominicam his vel similibus verbis introducit:

Præcéptis salutáribus móniti,
et divína institutióne formáti,
audémus dícere:

et omnes simul pergunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

31. Postea pro opportunitate his vel similibus verbis fideles invitat:

Offérte vobis pacem.

Et omnes, iuxta locorum consuetudinem, pacem et caritatem sibi invicem significant.

32. His peractis, minister genuflectit, accipit hostiam, eamque parum elevatam super vasculum vel pyxidem tenens, ad communicandos versus, dicit:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

Et communicandi semel subdunt:

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum:
sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

33. Si ipse minister communicat, secreto dicit:

Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam.

Et reverenter sumit Corpus Christi.

34. Postea accipit vasculum vel pyxidem, accedit ad communicandos, et hostiam parum elevatam unicuique eorum ostendit, dicens:

Corpus Christi.

Communicandus respondet:

Amen.

Et communicatur.

35. Dum fit distributio communionis, cantus aptus pro opportunitate proferri potest.

36. Distributione communionis expleta, fragmenta quæ super patina forte inveniantur, minister in pyxidem immittit, itemque pro opportunitate manus abluit. Sacramentum autem, si particulæ superfuerint, in tabernaculo recondit, et genuflectit.

37. Tunc pro opportunitate sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari vel psalmus aut canticum laudis proferri potest.

38. Deinde minister dicit orationem conclusivam:

Orémus.

Deus, qui nobis sub sacraménto mirábili
passiónis tuæ memóriam reliquísti,
tríbue, quǽsumus,

ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis iúgiter sentiámus. Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

Omnes respondent:

Amen.

Aliæ orationes ad libitum, nn. 210-219.

Tempore autem paschali præferantur orationes nn. 220-222 indicatæ.

Ritus conclusionis

39. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, versus ad populum, extendens manus dicit:

Dóminus vobíscum.

Omnes:

Et cum spíritu tuo.

Et benedicit populum, dicens:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes respondent:

Amen.

Loco huius formulæ, adhiberi potest etiam benedictio sollemnis aut oratio super populum, prouti pro benedictione in fine Missæ habetur in Missali Romano.

---

40. Si vero minister non est sacerdos neque diaconus, invocans benedictionem Dei et signans se, dicit:

Dóminus nos benedícat, et ab omni malo deféndat,
et ad vitam perdúcat ætérnam.

vel:

Benedícat et custódiat nos omnípotens et misericors Dóminus,
Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus.

Omnes respondent:

Amen.

---

41. Tandem minister dicit:

Ite in pace.

Omnes respondent:

Deo grátias.

Tunc, facta debita reverentia, minister recedit.

2. RITUS CUM BREVIORE VERBI DEI CELEBRATIONE CONIUNCTUS

42. Hæc forma adhibetur, quando rerum adiuncta suadent formam cum ampliore verbi Dei celebratione coniunctam non convenire, præsertim quando unus alterve tantum sunt communicandi, ideoque vera celebratio communitatis ordinari non potest.

Ritus initiales

43. Omnibus ut supra (nn. 19-20) dispositis, minister communicandos salutat (nn. 27, 189) eosque invitat ad actum pænitentialem peragendum (nn. 28, 190-191).

Lectio brevior verbi Dei

44. Omissa deinde celebratione verbi Dei, pro opportunitate ab uno ex astantibus vel ab ipso ministro legatur brevis textus sacræ Scripturæ, in quo sermo sit de pane vitæ.

Io 6, 54-55: Qui mandúcat meam carnem
et bibit meum sánguinem
habet vitam ætérnam,
et ego resuscitábo eum in novíssimo die:
caro enim mea verus est cibus,
et sanguis meus verus est potus.

Io 6, 54-58: Qui mandúcat meam carnem
et bibit meum sánguinem
habet vitam ætérnam,

et ego resuscitábo eum in novíssimo die:
caro enim mea verus est cibus,
et sanguis meus verus est potus.
Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem
in me manet et ego in illo.
Sicut misit me vivens Pater,
et ego vivo propter Patrem,
et qui mandúcat me et ipse vivet propter me.
Hic est panis qui de cælo descéndit,
non sicut manducavérunt patres et mórtui sunt:
qui mandúcat hunc panem vivet in ætérnum.

Io 14, 6: Ego sum via et véritas et vita:
nemo venit ad Patrem nisi per me.

Io 14, 23: Si quis díligit me, sermónem meum servábit,
et Pater meus díliget eum,
et ad eum veniémus et mansiónem apud eum faciémus.

Io 15, 4: Manéte in me, et ego in vobis.
Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso
nisi mánserit in vite,
sic nec vos nisi in me manséritis.

1 Cor 11, 26: Quotiescúmque manducábitis panem hunc
et cálicem bibétis,
mortem Dómini annuntiátis donec véniat.

Selegi potest etiam alius textus aptus ex iis qui infra, nn. 113 ss., proponuntur.

Sacra communio

45. Minister accipit vasculum vel pyxidem cum Corpore Domini, illud super altare deponit et genuflectit. Deinde orationem dominicam his vel similibus verbis introducit:

Præcéptis salutáribus móniti,
et divína institutióne formáti,
audémus dícere:

et omnes simul pergunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

46. His peractis, minister genuflectit, accipit hostiam, eamque parum elevatam super vasculum vel pyxidem tenens, ad communicandos versus, dicit:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

Et communicandi semel subdunt:

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum:
sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

47. Si ipse minister communicat, secreto dicit:

Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam.

Et reverenter sumit Corpus Christi.

48. Postea accipit vasculum vel pyxidem, accedit ad communicandos, et hostiam parum elevatam unicuique eorum ostendit, dicens:

Corpus Christi.

Communicandus respondet:

Amen.

Et communicatur.

49. Distributione communionis expleta, fragmenta quæ super patina forte inveniantur, minister in pyxidem immittit, itemque pro opportunitate manus abluit. Sacramentum autem, si particulæ superfuerint, in tabernaculo recondit, et genuflectit.

Tunc pro opportunitate sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari vel psalmus aut canticum laudis proferri potest.

50. Deinde minister dicit orationem conclusivam:

Orémus.

Deus, qui nobis sub sacraménto mirábili
passiónis tuæ memóriam reliquísti,
tríbue, quǽsumus,
ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári,
ut redemptiónis tuæ fructum in nobis iúgiter sentiámus.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

Omnes respondent:

Amen.

Aliæ orationes ad libitum, nn. 210-219.
Tempore autem paschali præferantur orationes nn. 220-222 indicatæ.

Ritus conclusionis

51. Deinde minister, si est sacerdos vel diaconus, versus ad populum, extendens manus dicit:

Dóminus vobíscum.

Omnes:

Et cum spíritu tuo.

Et benedicit populum, dicens:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Omnes respondent:

Amen.

52. Si vero minister non est sacerdos neque diaconus, invocans benedictionem Dei et signans se, dicit:

Dóminus nos benedícat, et ab omni malo deféndat,
et ad vitam perdúcat ætérnam.

vel:

Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus.

Omnes respondent:

Amen.

---

53. Tandem minister dicit:

Ite in pace.

Omnes respondent:

Deo grátias.

Tunc, facta debita reverentia, minister recedit.

CAPUT II

DE COMMUNIONE ET VIATICO INFIRMIS A MINISTRO EXTRAORDINARIO DEFERENDIS

54. Sacra communio et Viaticum infirmis a sacerdote vel diacono ministrantur iuxta ritus in *Ordine Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curæ descriptos.* Quando autem Ss.ma Eucharistia infirmis defertur ab acolytho, vel a ministro extraordinario sacræ communionis ad normam iuris deputato, servantur ritus qui sequuntur.

55. Licet Eucharistiam sub specie tantum vini iis ministrare, qui eam sub specie panis recipere nequeunt.

Sanguis Domini ad infirmum deferatur in vasculo ita clauso, ut periculum effusionis omnino vitetur. In administrando autem Sacramento, singulis in casibus, aptior modus eligatur ex iis qui in distribuenda communione sub utraque specie proponuntur. Si, communione delata, aliquid pretiosissimi Sanguinis remanserit, a ministro sumatur, qui etiam debitas ablutiones perficiendas curet.

1. RITUS ORDINARIUS COMMUNIONIS INFIRMORUM

Ritus initiales

56. Accedens ad infirmum, minister, veste huic ministerio conveniente indutus (cf. n. 20), ipsum ceterosque astantes humaniter salutat, adhibens, si casus fert, salutationem:

Pax huic dómui et ómnibus habitántibus in ea.

Adhiberi possunt etiam alia verba e sacra Scriptura, quibus ex consuetudine fideles salutantur.

Tunc, deposito Sacramento super mensam, ipsum cum astantibus adorat.

57. Minister infirmum ceterosque astantes invitat ad actum pænitentialem eliciendum:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra, ut apti simus ad hanc sacram celebratiónem participándam.

Et fit brevis pausa silentii. Postea omnes simul faciunt confessionem:

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres,
quia peccávi nimis
cogitatióne, verbo, ópere et omissióne:

et percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem,
omnes Angelos et Sanctos
et vos, fratres, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

Et minister concludit:

Misereátur nostri omnípotens Deus,
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Omnes respondent:

Amen.

Aliæ formulæ actus pænitentialis ad libitum, nn. 190-191.

Lectio brevior verbi Dei

58. Tunc, pro opportunitate, ab uno ex astantibus vel ab ipso ministro legi potest textus sacræ Scripturæ, v. g. ex iis qui infra n. 71 indicantur.

Sacra communio

59. Tunc minister his vel similibus verbis orationem dominicam introducit:

Nunc autem una simul Deum deprecémur,
sicut Dóminus noster Iesus Christus nos dócuit oráre:

et omnes simul pergunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;

advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

60. Tunc minister ostendit Ss.mum Sacramentum, dicens:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

Infirmus aliique communicandi semel dicunt:

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum:
sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

61. Minister ad infirmum accedit, eique Sacramentum ostendens, dicit:

Corpus Christi (vel: Sanguis Christi).

Infirmus respondet:

Amen.

Et communicatur.

Alii astantes qui communicandi sunt, modo consueto Sacramentum recipiunt.

62. Distributione communionis expleta, minister purificationem peragit. Tunc pro opportunitate sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari potest.

Deinde minister dicit orationem conclusivam:

Orémus.

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
te fidéliter deprecámur,
ut sacrosánctum Corpus (sacrosánctus Sanguis)
Dómini nostri Iesu Christi Fílii tui

accipiénti fratri nostro
tam córpori quam ánimæ
prosit ad remédium sempitérnum.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes respondent:

Amen.

Aliæ orationes ad libitum, nn. 210-222.

Ritus conclusionis

63. Deinde minister, invocans benedictionem Dei et signans se, dicit:

Dóminus nos benedícat, et ab omni malo deféndat,
et ad vitam perdúcat ætérnam.

vel:

Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus,
Pater, et Filius, et Spíritus Sanctus.

Omnes respondent:

Amen.

2. RITUS BREVIOR COMMUNIONIS INFIRMORUM

64. Ritus hic brevior adhibetur quando sacra communio danda est pluribus infirmis in variis cubiculis eiusdem domus, ex. gr. eiusdem valetudinarii, degentibus, additis, si casus fert, aliquibus elementis e ritu ordinario desumptis.

65. Ritus incipi potest aut in ecclesia vel in sacello, aut in primo cubiculo, ministro dicente antiphonam:

O sacrum convívium, in quo Christus súmitur:
recólitur memória passiónis eius,
mens implétur grátia,
et futúræ glóriæ nobis pignus datur.

Aliæ antiphonæ ad libitum, nn. 200-203.

66. Tunc minister, pro opportunitate, comitante aliqua persona cereum deferente, ad infirmos accedit et dicit sive semel ad omnes

infirmos, qui adsunt in eodem cubiculo, sive ad singulos communicandos:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

Quilibet autem communicandus semel subdit:

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum:
sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

Et communionem recipit modo consueto.

67. Ritus concluditur oratione (cf. n. 62), quæ dici potest aut in ecclesia vel in sacello aut in ultimo cubiculo.

3. DE VIATICO

Ritus initiales

68. Accedens ad infirmum, minister, veste huic ministerio conveniente indutus (cf. n. 20), ipsum ceterosque astantes humaniter salutat, adhibens, si casus fert, salutationem:

Pax huic dómui et ómnibus habitántibus in ea.

Adhiberi possunt etiam alia verba e sacra Scriptura, quibus ex consuetudine fideles salutantur.

Tunc, deposito Sacramento super mensam, ipsum cum astantibus adorat.

69. Postea, sequenti monitione, vel alia infirmi condicionibus magis aptata, astantes alloquitur:

Fratres caríssimi: Dóminus Iesus Christus, ántequam transíret ex hoc mundo ad Patrem, nobis relíquit sacraméntum Córporis et Sánguinis sui ut, in hora tránsitus nostri ex hac vita ad illum, Viático Córporis et Sánguinis eius roboráti, pígnore resurrectiónis muniámur. Cum fratre nostro in caritáte coniúncti, orémus pro eo.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

70. Minister infirmum ceterosque astantes invitat ad actum pænitentialem eliciendum:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra, ut apti simus ad hanc sacram celebratiónem participándam.

Et fit brevis pausa silentii. Postea omnes simul faciunt confessionem:

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres,
quia peccávi nimis
cogitatióne, verbo, ópere et omissióne:

et percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem,
omnes Angelos et Sanctos
et vos, fratres, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

Et minister concludit:

Misereátur nostri omnípotens Deus,
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Omnes respondent:

Amen.

Aliæ formulæ actus pænitentialis ad libitum, nn. 190-191.

Lectio brevior verbi Dei

71. Valde convenit ut ab uno ex astantibus vel ab ipso ministro legatur brevis textus sacrae Scripturæ, v. g.:

Io 6, 54-55: Qui mandúcat meam carnem
et bibit meum sánguinem,
habet vitam ætérnam,
et ego resuscitábo eum in novíssimo die:
caro enim mea verus est cibus,
et sanguis meus verus est potus.

Io 6, 54-58: Qui mandúcat meam carnem
et bibit meum sánguinem,
habet vitam ætérnam,

et ego resuscitábo eum in novíssimo die:
caro enim mea verus est cibus,
et sanguis meus verus est potus.
Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem
in me manet et ego in illo.
Sicut misit me vivens Pater,
et ego vivo propter Patrem,
et qui mandúcat me et ipse vivet propter me.
Hic est panis qui de cælo descéndit,
non sicut manducavérunt patres et mórtui sunt:
qui mandúcat hunc panem vivet in ætérnum.

Io 14, 6: Ego sum via et véritas et vita:
nemo venit ad Patrem nisi per me.

Io 14, 23: Si quis díligit me, sermónem meum servábit,
et Pater meus díliget eum,
et ad eum veniémus et mansiónem apud eum faciémus.

Io 14, 27: Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis;
non quómodo mundus dat ego do vobis.
Non turbétur cor vestrum neque formídet.

Io 15, 4: Manéte in me, et ego in vobis.
Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso
nisi mánserit in vite,
sic nec vos nisi in me manséritis.

Io 15, 5: Ego sum vitis, vos pálmites.
Qui manet in me, et ego in eo,
hic fert fructum multum,
quia sine me nihil potéstis fácere.

1 Cor 11, 26: Quotiescúmque manducábitis panem hunc
et cálicem bibétis,
mortem Dómini annuntiátis donec véniat.

1 Io 4, 16: Et nos cognóvimus et credídimus caritáti
quam habet Deus in nobis.
Deus cáritas est,
et qui manet in caritáte in Deo manet
et Deus in eo manet.

Seligi potest etiam alius textus aptus ex iis qui in *Ordine Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curæ* (nn. 247 ss. vel 153 ss.) proponuntur.

Professio fidei baptismalis

72. Expedit ut infirmus, antequam Viaticum recipiat, fidei baptismalis professionem renovet. Minister, proinde, brevi introductione aptis verbis præhabita, eum interrogat:

Credis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?
℟. Credo.

Credis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum ex María Vírgine, passum et sepúltum, qui a mórtuis resurréxit et sedet ad déxteram Patris?
℟. Credo.

Credis in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem et vitam ætérnam?
℟. Credo.

Deprecatio pro infirmo

73. Deinde, si condiciones infirmi id permittunt, fit brevis deprecatio his vel similibus verbis, ipso infirmo, quantum fieri potest, atque astantibus respondentibus:

Dóminum Iesum Christum, fratres caríssimi, uno corde invocémus:

— Te, Dómine, qui dilexísti nos in finem, et teípsum morti tradidísti ut nobis vitam dares, pro fratre nostro deprecámur.
℟. Exáudi nos, Dómine.

— Te, Dómine, qui dixísti: Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem habet vitam ætérnam, pro fratre nostro deprecámur.

℟. Exáudi nos, Dómine.

— Te, Dómine, qui nos invítas ad illud convívium, ubi non erit ámplius dolor neque luctus, neque tristítia neque separátio, pro fratre nostro deprecámur.

℟. Exáudi nos, Dómine.

Viaticum

74. Tunc minister his vel similibus verbis orationem dominicam introducit:

Nunc autem una simul Deum deprecémur,
sicut Dóminus noster Iesus Christus nos dócuit oráre:

et omnes simul pergunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

75. Tunc minister, Ss.mum Sacramentum ostendens, dicit:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

Et infirmus, si potest, aliique communicandi semel dicunt:

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum:
sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

76. Minister ad infirmum accedit, eique Sacramentum ostendens, dicit:

Corpus Christi (vel: Sanguis Christi).

Infirmus respondet:

Amen.

Et statim, vel post datam communionem, minister addit:

Ipse te custódiat et perdúcat in vitam ætérnam.

Infirmus respondet:

Amen.

Astantes, qui communicandi sunt, modo consueto Sacramentum recipiunt.

77. Distributione communionis expleta, minister de more purificationem peragit. Tunc, pro opportunitate, sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari potest.

Ritus conclusionis

78. Deinde minister dicit orationem conclusivam:

Orémus.

Deus, cuius Fílius nobis est via, véritas et vita,
réspice cleménter fámulum tuum N.
et præsta ut, tuis promissiónibus se commíttens
et Fílii tui Córpore et Sánguine recreátus,
ad regnum tuum progrediátur in pace.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes respondent:

Amen.

Alia oratio ad libitum, n. 223.

Deinde minister dicit:

Dóminus sit semper tecum,
virtúte sua te múniat
et in pace custódiat.

Et tum ipse tum astantes signum pacis infirmo dare possunt.

CAPUT III

DE VARIIS FORMIS CULTUS SANCTISSIMÆ EUCHARISTIÆ TRIBUENDI

79. Devotio tam privata quam publica erga Ss.mam Eucharistiam etiam extra Missam, secundum normas a legitima auctoritate statutas, enixe commendatur, cum Sacrificium eucharisticum totius vitæ christianæ fons et culmen sit.

In huiusmodi piis sacrisque exercitiis ordinandis, ratio habeatur temporum liturgicorum, ut sacræ Liturgiæ congruant, ab ea quodammodo deriventur et ad eam populum manuducant.[1]

80. Fideles cum Christum in Sacramento præsentem colunt, meminerint hanc præsentiam a Sacrificio derivari atque ad communionem sacramentalem et spiritalem tendere.

Pietas ergo quæ fideles impellit ut ad sanctam Eucharistiam adorandam se conferant, eos allicit ut mysterium paschale penitus participent et grato animo respondeant dono ipsius, qui per humanitatem suam continenter vitam divinam in membra Corporis sui infundit. Apud Christum Dominum commorantes, intima fruuntur familiaritate eius atque coram eo cor effundunt pro se suisque omnibus, et pro pace ac salute mundi orant. Cum Christo totam suam vitam Patri in Spiritu Sancto offerentes, ex illo admirabili commercio hauriunt fidei et spei et caritatis augmentum. Sic ergo illas rectas dispositiones alunt quibus, qua par est devotione, memoriale Domini celebrare et panem illum nobis a Patre datum frequenter suscipere possint.

Studeant igitur fideles ut iuxta propriæ vitæ rationem Christum Dominum in Sacramento colant. Pastores vero in hoc eos exemplo ducant et verbis hortentur.[2]

81. Meminerint insuper se huiusmodi oratione coram Christo Domino in Sacramento præsente illam unionem, quam cum ipso in communione sunt assecuti, protrahere illudque fœdus renovare, quod eos impellit, ut moribus et vita teneant quod in celebratione Eucharistiæ

[1] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium*, n. 58: *A.A.S.* 59 (1967), p. 569.

[2] Cf. *ibid.*, n. 50: *l. c.*, p. 567.

fide et sacramento perceperunt. Studeant ergo universam suam vitam in fortitudine cibi cælestis gratanter peragere, participantes mortem et resurrectionem Domini. Itaque unusquisque sollicitus sit facere bona opera et placere Deo, mundum spiritu christiano imbuere sibi proponens, et etiam in omnibus, in media quidem humana consortione, Christi testis effici.[3]

[3] Cf. *ibid.*, n. 13: *l. c.*, p. 549.

1. DE SS.MÆ EUCHARISTIÆ EXPOSITIONE

PRÆNOTANDA

I. De rationibus quæ inter expositionem et Missam intercedunt

82. Expositio sanctissimæ Eucharistiæ, sive cum pyxide sive cum ostensorio, ad agnoscendam in ea miram Christi præsentiam pertrahit, et ad cordis unionem cum illo invitat, quæ in communione sacramentali culmen attingit. Quare, cultum ipsi in spiritu et veritate debitum, optime fovet.

Attendendum est ut, in huiusmodi expositionibus, cultus sanctissimi Sacramenti in sua ratione, quæ cum Missa intercedit, eluceat. In apparatu expositionis ea omnia sedulo vitentur, quæ aliquo modo obscurare possint desiderium Christi, qui sanctissimam Eucharistiam præcipue instituit ut nobis præsto sit in cibum, remedium et levamen.[4]

83. Perdurante expositione sanctissimi Sacramenti, celebratio Missæ, in eadem aula ecclesiæ prohibetur.

Nam, præter rationes n. 6 allatas, celebratio mysterii eucharistici modo perfectiore includit illam communionem internam ad quam expositio intendit fideles adducere.

Si expositio sanctissimi Sacramenti per unum vel plures dies subsequentes protrahitur, ipsa intermittenda est durante Missæ celebratione, nisi forte in sacello ab aula expositionis separato Missa celebretur et aliqui saltem fideles in adoratione remaneant.[5]

II. De nonnullis servandis in ordinanda expositione

84. Coram sanctissimo Sacramento, sive in tabernaculo asservato sive publicae adorationi exposito, unico genu flectitur.

85. In sanctissimi Sacramenti expositione cum ostensorio facta, quattuor cerei aut sex, quot scilicet in Missa habentur, accenduntur et incensum adhibetur. In expositione cum pyxide, duo saltem cerei accendantur; incensum adhiberi potest.

[4] Cf. *ibid.*, n. 60: *l. c.*, p. 570.
[5] Cf. *ibid.*, n. 61: *l. c.*, pp. 570-571.

De expositione protracta

86. In ecclesiis, in quibus Eucharistia habitualiter asservatur, quotannis commendatur sollemnis sanctissimi Sacramenti expositio per aliquod tempus protracta, etsi non stricte continua, ut communitas localis hoc mysterium impensius meditetur et adoret.

Huiusmodi tamen expositio, de consensu Ordinarii loci, fiat tantum si congruus prævidetur fidelium concursus.[6]

87. Pro gravi autem et generali aliqua necessitate, ab Ordinario loci imperari potest supplicatio coram sanctissimo Sacramento exposito per longius tempus protracta in iis ecclesiis facienda, ad quas fideles frequentiores concurrunt.[7]

88. Ubi, deficiente congrua copia adoratorum expositio sine intermissione fieri nequit, sanctissimum Sacramentum in tabernaculo recondere licet, horis antea statutis et pervulgatis, non tamen sæpius quam bis in die, exempli gratia circa meridiem et nocturno tempore.

Hæc autem repositio simpliciore modo fieri potest: sacerdos nempe aut diaconus, alba vel superpelliceo super veste talari et stola indutus, post brevem adorationem, prece facta cum fidelibus, sanctissimum Sacramentum in tabernaculo reponit. Simili modo, tempore statuto, fit denuo expositio.[8]

De expositione brevi

89. Breves sanctissimi Sacramenti expositiones ita ordinandæ sunt ut in eis, ante benedictionem cum sanctissimo Sacramento, congruum tempus tribuatur lectionibus verbi Dei, canticis, precibus et orationi aliquamdiu in silentio protractæ.

Expositio, quæ unice fiat ad benedictionem impertiendam, prohibetur.[9]

De adoratione in communitatibus religiosis

90. Communitatibus religiosis aliisque piis cœtibus, qui, iuxta constitutiones aut sui Instituti normas, adorationi eucharisticæ perpetuæ vel per longius tempus protractæ vacant, enixe commendatur ut piam hanc consuetudinem iuxta spiritum sacræ Liturgiæ ita ordi-

[6] Cf. *ibid.*, n. 63: *l. c.*, p. 571.
[7] Cf. *ibid.*, n. 64: *l. c.*, p. 572.
[8] Cf. *ibid.*, n. 65: *l. c.*, p. 572.
[9] Cf. *ibid.*, n. 66: *l. c.*, p. 572.

nent ut, cum adoratio coram Christo Domino participatione totius communitatis fiat, eadem sacris lectionibus, cantu, sacro silentio peragatur, quo efficacior evadat ad vitam spiritalem ipsius communitatis fovendam. Hac enim ratione spiritus unitatis et fraternitatis, qui Eucharistia significatur et efficitur, inter ipsos religiosæ domus sodales promovetur, et cultus Sacramento debitus forma nobiliore exercetur.

Servanda etiam est, valdeque collaudatur, ea adorationis forma, in qua singuli vel bini tantum sodales sibi succedunt. Etenim hac etiam forma iuxta Instituti rationem, ab Ecclesia approbatam, Christum Dominum in Sacramento, nomine totius communitatis et Ecclesiæ, ipsi adorant et deprecantur.

III. De ministro expositionis Ss.mæ Eucharistiæ

91. Minister ordinarius expositionis sanctissimi Sacramenti est sacerdos vel diaconus, qui in fine adorationis, antequam Sacramentum reponat, cum ipso Sacramento populum benedicit.

Absentibus vero sacerdote et diacono vel legitime impeditis, sanctissimam Eucharistiam ad fidelium adorationem publice exponere et deinde reponere possunt:

a) acolythus et minister extraordinarius sacræ communionis;

b) aliquis sodalis e communitatibus religiosis et piis consociationibus laicalibus, sive virorum sive mulierum, adorationi eucharisticæ vacantibus, ab Ordinario loci deputatus.

Ii omnes expositionem facere valent tabernaculum aperiendo aut etiam, si opportunum sit, pyxidem super altare deponendo vel hostiam in ostensorio ponendo. In fine adorationis Sacramentum in tabernaculo recondunt. Ipsis tamen non licebit benedictionem cum sanctissimo Sacramento impertire.

92. Minister, si est sacerdos vel diaconus, albam induat vel superpelliceum super veste talari et stolam albi coloris assumat.

Alii vero ministri aut vestem liturgicam in sua regione forte traditam assumant, aut vestem induant quæ huic ministerio non dedeceat et ab Ordinario probatam.

Ad benedictionem autem impertiendam in fine adorationis, quando expositio cum ostensorio facta sit, sacerdos et diaconus pluviale quoque et velum umerale albi coloris assumant; si vero cum pyxide, velum umerale assumant.

ORDO EXPOSITIONIS ET BENEDICTIONIS EUCHARISTICÆ

De expositione

93. Populo congregato et cantum pro opportunitate exsequente, minister ad altare accedit. Si Sacramentum non asservatur in altari ubi fit expositio, minister, velo umerali assumpto, illud defert e loco asservationis, comitantibus cum cereis accensis ministrantibus aut fidelibus.

Pyxis vel ostensorium ponatur super mensam altaris tobalea coopertam. Si vero expositio per longius tempus protrahitur et fit cum ostensorio, thronus adhiberi potest, in eminentiore loco positus; at caveatur ne sit nimis elevatus ac distans.[10] Facta expositione, si expositio fit cum ostensorio, minister Sacramentum incensat. Postea, si adoratio per longius tempus protrahitur, potest recedere.

94. Si expositio est sollemnior et protracta, hostia adorationi exhibenda in Missa, quæ immediate præcedit, consecretur et in ostensorio super altare ponatur post communionem. Missa autem finiatur oratione post communionem, omissis ritibus conclusionis. Antequam autem sacerdos discedat, Sacramentum, pro opportunitate, super thronum ponat et incenset.

De adoratione

95. Durante expositione, orationes, cantus, lectiones ita componenda sunt, ut fideles orationi intenti, Christo Domino vacent.

Ad intimam orationem alendam, adhibeantur lectiones e sacra Scriptura cum homilia, aut breves exhortationes, quæ ad meliorem æstimationem mysterii eucharistici inducant. Decet etiam fideles verbo Dei respondere cantando. Expedit ut aptis momentis sacrum silentium habeatur.

96. Coram sanctissimo Sacramento per longius tempus exposito celebrari potest etiam aliqua pars, præsertim vero Horæ præcipuæ, Liturgiæ Horarum; per eam enim laudes et gratiarum actiones, quæ Deo persolvuntur in Eucharistiæ celebratione, ad varias diei horas dilatantur, supplicationesque Ecclesiæ diriguntur ad Christum et per ipsum ad Patrem nomine totius mundi.

[10] Cf. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium*, n. 62: *A.A.S.* 59 (1967), p. 571.

De benedictione

97. Sub finem adorationis sacerdos vel diaconus ad altare accedit, genuflexionem peragit et genua flectit, et canitur hymnus vel alius cantus eucharisticus.[11] Interim minister genuflexus sanctissimum Sacramentum incensat, quando expositio cum ostensorio facta sit.

98. Postea surgit et dicit:

Orémus.

Fit brevis pausa silentii; deinde minister prosequitur:

Deus, qui nobis sub sacraménto mirábili
passiónis tuæ memóriam reliquísti,
tríbue, quǽsumus,
ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári,
ut redemptiónis tuæ fructum in nobis iúgiter sentiámus.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

Omnes respondent:

Amen.

Aliæ orationes ad libitum, nn. 224-229.

99. Dicta oratione, sacerdos vel diaconus, velo umerali assumpto, genuflectit, accipit ostensorium vel pyxidem et cum eo signum crucis peragit super populum, nihil dicens.

De repositione

100. Benedictione absoluta, ipse sacerdos vel diaconus qui benedictionem impertivit, vel alius sacerdos aut diaconus, Sacramentum in tabernaculo reponit et genuflectit, dum populus aliquam acclamationem pro opportunitate profert, ac tandem recedit.

[11] Cf. infra nn. 192-199.

2. DE PROCESSIONIBUS EUCHARISTICIS

101. In processionibus quibus Eucharistia per vias sollemni ritu cum cantu circumfertur, populus christianus publicum testimonium fidei et pietatis præbet erga sanctissimum Sacramentum.

Ordinarii tamen loci est iudicare cum de opportunitate, in hodiernis rerum adiunctis, tum de tempore atque de loco et de ordinatione huiusmodi processionum, ut cum dignitate et sine damno reverentiæ sanctissimo huic Sacramento debitæ peragantur.[12]

102. Inter processiones eucharisticas peculiare momentum et significationem obtinet in vita pastorali parœciæ vel civitatis ea quæ singulis annis fieri solet in sollemnitate Corporis et Sanguinis Christi, vel alio opportuniore die prope hanc sollemnitatem. Convenit ergo, ubi hodierna rerum adiuncta id permittunt, et vere potest esse signum communis fidei et adorationis, ut hæc processio servetur, ad normam iuris.

Si tamen urbs permagna est, et necessitas pastoralis id suadet, licet, de iudicio Ordinarii loci, alias processiones ordinare in præcipuis partibus urbis. Ubi vero in sollemnitate Corporis et Sanguinis Christi processio haberi nequit, convenit ut alia publica habeatur celebratio pro universa civitate aut pro præcipuis eius partibus, in ecclesia cathedrali aliisve locis opportunioribus.

103. Expedit ut processio cum sanctissimo Sacramento fiat post Missam, in qua hostia in processione deferenda consecretur. Nihil tamen impedit quominus processio peragatur etiam post publicam et protractam adorationem, quæ Missam sequatur.

104. Processiones eucharisticæ iuxta locorum consuetudines disponantur tum in his quæ platearum et viarum ornatum respiciunt, tum in his quæ ad participantium ordinationem spectant. Durante itinere, si consuetudo viget et pastorale bonum id suadet, stationes etiam cum benedictione eucharistica fieri possunt. Cantus tamen et orationes quæ proferuntur ad id ordinentur, ut omnes fidem suam in Christum manifestent solique Domino vacent.

105. Sacerdos qui Sacramentum defert, si processio fit immediate post Missam, potest sacras vestes in Missæ celebratione adhibitas retinere vel pluviale albi coloris assumere; si vero processio Missam immediate non sequatur, pluviale sumat.

[12] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium*, n. 59: *A.A.S.* 59 (1967), p. 570.

106. Lumina, incensum, baldachinum, sub quo incedat sacerdos Sacramentum deferens, iuxta locorum consuetudines adhibeantur.

107. Expedit ut processio ab una ad aliam ecclesiam dirigatur. Attamen, si locorum adiuncta id suadent, potest etiam ad eandem ecclesiam regredi e qua egressa est.

108. In fine processionis, benedictio cum sanctissimo Sacramento, in ecclesia ad quam pervenitur aut alio opportuniore loco, impertitur; et reponitur sanctissimum Sacramentum.

3. DE CONGRESSIBUS EUCHARISTICIS

109. Congressus eucharistici, qui recentiore ætate ut peculiaris manifestatio cultus eucharistici in vitam Ecclesiæ sunt inducti, habendi sunt veluti « statio » ad quam aliqua communitas Ecclesiam localem universam, aut aliqua Ecclesia localis alias Ecclesias unius regionis vel nationis, aut etiam e toto orbe invitat, ut una simul Eucharistiæ mysterium sub aliquo aspectu penitius agnoscant et in vinculo caritatis et unitatis publice colant.

Huiusmodi ergo congressus verax fidei et caritatis signum sint oportet ob plenam Ecclesiæ localis participationem aliarumque Ecclesiarum significatam consociationem.

110. De loco, themate et ordine congressus celebrandi opportunæ investigationes tum in Ecclesia locali, tum in aliis Ecclesiis fiant, quæ ad necessitates veras considerandas adducant quæque progressui studii rei theologicæ et bono Ecclesiæ localis faveant. In quo inquisitionis opere auxilium adhibeatur peritorum in re theologica, biblica, liturgica, pastorali necnon in scientiis quæ « humanæ » nuncupantur.

111. In congressu præparando, hæc præ ceteris magni sunt facienda:

a) impensior catechesis de Eucharistia, præsertim quatenus est mysterium Christi viventis et operantis in Ecclesia, variorum cœtuum captui accommodata;

b) magis actuosa sacræ Liturgiæ participatio, simul religiosum verbi Dei auditum et fraternum communitatis sensum fovens;[13]

[13] Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 41-52; Const. *Lumen gentium*, n. 26.

c) subsidiorum investigatio et operum socialium exsecutio ad promotionem humanam et debitam bonorum, etiam temporalium, communicationem, exemplo primævæ communitatis christianæ,[14] ut evangelicum fermentum, tamquam societatis præsentis exstruendæ vis et futuræ pignus [15] ab eucharistica mensa quacumque diffundatur.

112. Celebratio ipsa congressus his criteriis ordinetur.[16]

a) Eucharistiæ celebratio vere centrum et fastigium sit, quo incepta omnia necnon variæ pietatis formæ spectent oportet;

b) verbi Dei celebrationes, catecheticæ sessiones ac publicæ collationes eo tendant, ut thema propositum altius investigetur eiusque aspectus practici clarius proponantur ad effectum deducendi;

c) opportunitas præbeatur sive communium precum sive protractæ adorationis coram sanctissimo Sacramento exposito, certis præfinitis ecclesiis quæ aptiores huic pietatis exercitio videantur;

d) quoad processionem instituendam, qua sanctissimum Sacramentum publicis hymnis et supplicationibus per vias urbis deferatur, serventur normæ de processionibus eucharisticis,[17] attentis sociali ac religiosa condicionibus loci.

[14] Cf. *Act* 4, 32.
[15] Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium,* n. 47; Decr. *Unitatis redintegratio,* n. 15.
[16] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* n. 67: *A.A.S.* 59 (1967), pp. 572-573.
[17] Cf. supra nn. 101-108.

CAPUT IV

TEXTUS VARII
IN SACRA COMMUNIONE EXTRA MISSAM DISTRIBUENDA ET IN ADORATIONE ET PROCESSIONE SANCTISSIMI SACRAMENTI ADHIBENDI

1. LECTIONES BIBLICÆ

Lectiones e Vetere Testamento

113. Gen 14, 18-20: « Panem et vinum obtulit ».
In diebus illis: Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum ...

114. Ex 12, 21-27: « Cum viderit Dominus sanguinem ... transcendet ostium ».
In diebus illis: Vocavit Moyses omnes seniores ...

115. Ex 16, 2-4. 12-15: « Ego pluam vobis panes de cælo ».
In diebus illis: Murmuravit omnis congregatio ...

116. Ex 24, 3-8: « His est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum ».
In diebus illis: Venit Moyses et narravit ...

117. Deut 8, 2-3. 15b-16a: « Dedit tibi cibum, quod ignorabas ».
In diebus illis: Locutus est Moyses populo ...

118. 1 Reg 19, 4-8: « Ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei ».
In diebus illis: Perrexit Elias in desertum ...

119. Prov 9, 1-6: « Comedite panem meum et bibite vinum, quod miscui vobis ».
Sapientia ædificavit sibi domum ...

Lectiones e Novo Testamento

120. Act 2, 42-47: « Erant perseverantes ... in communicatione, in fractione panis ».
In diebus illis: Erant discipuli perseverantes ...

121. Act 10, 34a. 37-43: « Manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis ».
In diebus illis: Aperiens Petrus os, dixit: « Vos scitis ... »

122. 1 Cor 10, 16-17: « Unus panis, unum corpus multi sumus ».
Fratres: Calix benedictionis ...

123. 1 Cor 11, 23-26: « Quotiescumque manducabitis et bibetis, mortem Domini annuntiatis ».
Fratres: Ego accepi a Domino ...

124. Hebr 9, 11-15: « Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ».
Christus cum advenit Pontifex ...

125. Hebr 12, 18-19. 22-24: « Accessistis ad sanguinem aspersionis, melius loquentem quam Abel ».
Fratres: Non accessistis ad tractabilem et ardentem ignem ...

126. 1 Petr 1, 17-21: « Redempti estis pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi ».
Carissimi: Si Patrem invocatis ...

127. 1 Io 5, 4-7a. 8b: « Tres sunt qui testificantur: Spiritus et aqua et sanguis ».
Carissimi: Omne quod natum est ex Deo ...

128. Ap 1, 5-8: « Diligit nos et solvit nos a peccatis nostris in sanguine suo ».
Gratia vobis et pax ab Iesu Christo ...

129. Ap 7, 9-14: « Laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni ».
Ego Ioannes vidi turbam magnam ...

Psalmi responsorii

130. Ps 22, 1-3. 4. 5. 6.
℟. (1): Dominus pascit me, et nihil mihi deerit.

131. Ps 33, 2-3. 4-5. 6-7. 8-9.
℟. (9a): Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.

132. Ps 39, 2 et 4ab. 7-8a. 8b-9. 10.
℟. (8a. 9a): Ecce venio, Domine, ut faciam voluntatem tuam.

133. Ps 77, 3-4a et 7ab. 23-24. 25 et 54.
℟. (24b): Panem cæli dedit eis Dominus.

134. Ps 109, 1. 2. 3. 4.
℟. (4bc): Tu es sacerdos in æternum,
secundum ordinem Melchisedech.

135. Ps 115, 12-13. 15 et 16bc. 17-18.
℟. (13): Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.
vel (1 Cor 10, 16): Calix benedictionis communicatio sanguinis Christi est.

136. Ps 144, 10-11. 15-16. 17-18.
℟. (cf. 16): Aperis tu manum tuam, Domine, et satias nos.

137. Ps 147, 12-13. 14-15. 19-20.
℟. (12a): Lauda, Ierusalem, Dominum.
vel (Io 6, 58c): Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Alleluia et Versus ante Evangelium

138. Io 6, 51: Ego sum Panis vivus, qui de cælo descendi,
dicit Dominus;
si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

139. Io 6, 56: Qui manducat meam carnem
et bibit meum sanguinem,
in me manet et ego in illo, dicit Dominus.

140. Io 6, 57: Sicut misit me vivens Pater,
et ego vivo propter Patrem,
et qui manducat me et ipse vivet propter me, dicit Dominus.

141. Cf. Ap. 1, **5ab**: Iesu Christe, testis fidelis,
Primogenite mortuorum,
dilexisti nos et lavisti peccata nostra in sanguine tuo.

142. Ap 5, 9: Dignus es, Domine, accipere librum
et aperire signacula eius,
quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo.

Evangelia

143. Mc 14, 12-16. 22-26: « Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus ».
Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant ...

144. Mc 15, 16-20: « Induunt Iesum purpuram, et imponunt ei plectentes spineam coronam ».
In illo tempore: Milites duxerunt Iesum intro in atrium ...

145. Lc 9, 11b-17: « Manducaverunt et saturati sunt omnes ».
In illo tempore: Loquebatur Iesus turbis de Regno Dei ...

146. Lc 22, 39-44: « Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram ».
In illo tempore: Egressus Iesus ibat secundum consuetudinem ...

147. Lc 24, 13-35 (longior) vel 13-16. 28-35 (brevior): « Cognoverunt eum in fractione panis ».
Ecce duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die prima sabbati ...

148. Io 6, 1-15: « Distribuit discumbentibus quantum volebant ».
In illo tempore: Abiit Iesus trans mare Galilææ ...

149. Io 6, 24-35: « Qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet umquam ».
In illo tempore: Cum vidisset turba quia Iesus non esset ibi, ...

150. Io 6, 41-51: « Ego sum Panis vivus qui de cælo descendi ».
In illo tempore: Murmurabant Iudæi de Iesu, quia dixisset ...

151. Io 6, 51-58: « Caro mea verus est cibus, et sanguis meus verus est potus ».
In illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorum: « Ego sum ...

152. Io 19, 31-37: « Latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua ».
Iudæi, quoniam Parasceve erat ...

153. Io 21, 1-14: « Iesus accipit panem et dat eis ».
In illo tempore: Manifestavit se iterum Iesus discipulis ...

LECTIONES MISSÆ VOTIVÆ DE SACRATISSIMO CORDE IESU

Lectiones e Vetere Testamento

154. Ex 34, 4b-7a. 8-9: « Dominator Domine Deus, misericors et clemens ».
In diebus illis: De nocte consurgens Moyses ascendit in montem Sinai ...

155. Deut 7, 6-11: « Dilexit vos Dominus et elegit vos ».
In diebus illis: Locutus est Moyses populo dicens: « Populus sanctus es Domino ...

156. Deut 10, 12-22: « Amavit eos elegitque semen eorum post eos ».
In diebus illis: Locutus est Moyses populo dicens: « Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit...

157. Is 49, 13-15: « Si mulier infantem suum oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui ».
Laudate, cæli, et exsulta, terra ...

158. Ier 31, 1-4: « In caritate perpetua dilexi te ».
In tempore illo, dicit Dominus ...

159. Ez 34, 11-16: « Ego pascam oves meas et ego eas faciam accubare ».
Hæc dicit Dominus Deus: « Ecce ego ipse requiram oves meas ...

160. Os 11, 1b. 3-4. 8c-9 (Hebr. 1. 3-4. 8c-9): « Conversum est in me cor meum ».
Hæc dicit Dominus: « Puer Israel et dilexi eum ...

Lectiones e Novo Testamento

161. Rom 5, 5-11: « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris ».
Fratres: Spes non confundit ...

162. Eph 1, 3-10: « Secundum divitias gratiæ eius, qua superabundavit in nobis ».
Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi ...

163. Eph 3, 8-12: « Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi ».
Fratres: Mihi omnium sanctorum minimo ...

164. Eph 3, 14-19: «Scire supereminentem scientiæ caritatem Christi ».
Fratres: Flecto genua mea ad Patrem ...

165. Phil 1, 8-11: « In visceribus Christi Iesu ».
Fratres: Testis mihi Deus ...

166. 1 Io 4, 7-16: « Ipse dilexit nos ».
Carissimi, diligamus invicem ...

167. Ap 3, 14b. 20-22: « Cenabo cum illo et ipse mecum ».
Hæc dicit Amen, Testis fidelis ...

168. Ap 5, 6-12: « Redemisti nos Deo in sanguine tuo ».
Ego Ioannes vidi in medio throni ...

Psalmi responsorii

169. Is 12, 2-3. 4bcd. 5-6.
℟. (3): Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

170. Ps 22, 1-3. 4. 5. 6.
℟. (1): Dominus pascit me, et nihil mihi deerit.

171. Ps 24, 4bc-5ab. 6 et 7bc. 8-9. 10 et 14.
℟. (6a): Reminiscere miserationum tuarum, Domine.

172. Ps 32, 1-2. 4-5. 11-12. 18-19. 20-21.
℟. (5b): Misericordia Domini plena est terra.

173. Ps 33, 2-3. 4-5. 6-7.
℟. (9a): Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.

174. Ps 102, 1-2. 3-4. 6-7. 8 et 10.
℟. (17): Misericordia Domini ab æterno super timentes eum.

Alleluia et Versus ante Evangelium

175. Cf. Mt 11, 25: Benedictus es, Pater, Domine cæli et terræ,
quia mysteria regni parvulis revelasti.

176. Mt 11, 28: Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis,
et ego reficiam vos, dicit Dominus.

177. Mt 11, 29ab: Tollite iugum meum super vos, dicit Dominus,
et discite a me, quia mitis sum et humilis corde.

178. Io 10, 14: Ego sum pastor bonus, dicit Dominus,
et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.

179. Io 15, 9: Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos:
manete in dilectione mea, dicit Dominus.

180. 1 Io 4, 10b: Deus ipse dilexit nos et misit Filium suum
propitiationem pro peccatis nostris.

Evangelia

181. Mt 11, 25-30: « Mitis sum et humilis corde ».
In illo tempore, respondens Iesus dixit: « Confiteor tibi, Pater ...

182. Lc 15, 1-10: « Gaudium erit in cælo super uno peccatore pænitentiam agente ».
In illo tempore: Erant appropinquantes Iesu omnes publicani ...

183. Lc 15, 1-3. 11-32: « Gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat et revixit ».
In illo tempore: Erant appropinquantes Iesu omnes publicani ... dicens: 11 « Homo quidam ... ».

184. Io 10, 11-18: « Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: « Ego sum pastor bonus ...

185. Io 15, 1-8: « Manete in me, et ego in vobis ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: « Ego sum vitis vera ...

186. Io 15, 9-17: « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos ».
In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: « Sicut dilexit me Pater ...

187. Io 17, 20-26: « Dilexisti eos sicut me dilexisti ».
In illo tempore: Sublevatis Iesus oculis in cælum, oravit dicens: « Pater sancte, non pro his rogo tantum ...

188. Io 19, 31-37: « Latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua ».
Iudæi, quoniam Parasceve erat ...

---

2. Alia formula salutationis

189. Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro
et Dómino Iesu Christo.

Omnes respondent:

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi.

vel:

Et cum spíritu tuo.

3. ALIÆ FORMULÆ ACTUS PÆNITENTIALIS

190. Minister fideles invitat ad pænitentiam:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra, ut apti simus ad hanc sacram celebratiónem participándam.

Et fit brevis pausa silentii. Postea minister dicit:

Miserére nostri, Dómine.

Omnes respondent:

Quia peccávimus tibi.

Minister:

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

Omnes respondent:

Et salutáre tuum da nobis.

Et minister concludit:

Misereátur nostri omnípotens Deus,
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Omnes respondent:

Amen.

191. Minister fideles invitat ad pænitentiam:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra, ut apti simus ad hanc sacram celebratiónem participándam.

Et fit brevis pausa silentii. Postea minister, vel alius ex astantibus, sequentes vel alias invocationes cum Kýrie, eléison, profert:

Qui paschàli tuo mystério salútem nobis acquisísti:
Kýrie, eléison.

Omnes:

Kýrie, eléison.

Minister:

Qui mirabília tuæ Passiónis inter nos renováre non désinis: Christe, eléison.

Omnes:

Christe, eléison.

Minister:

Qui per Córporis tui susceptiónem
sacrifícii paschális partícipes nos éfficis: Kýrie, eléison.

Omnes:

Kýrie, eléison.

Et minister concludit:

Misereátur nostri omnípotens Deus,
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Omnes respondent:

Amen.

4. HYMNI

Ad benedictionem quæ concludit adorationem, præsertim quando hæc brevior est, cantari potest solummodo ultima pars huius hymni, inde a verbis: * Tantum ergo.

Pange, lingua

192. Pange, lingua, gloriósi
córporis mystérium,
sanguinísque pretiósi,
quem in mundi prétium
fructus ventris generósi
Rex effúdit géntium.

Nobis datus, nobis natus
ex intácta Vírgine,
et in mundo conversátus,
sparso verbi sémine,
sui moras incolátus
miro clausit órdine.

In suprémæ nocte cenæ
recúmbens cum frátribus,
observáta lege plene
cibis in legálibus,
cibum turbæ duodénæ
se dat suis mánibus.

Verbum caro panem verum
verbo carnem éfficit,
fitque sanguis Christi merum,
et, si sensus déficit,
ad firmándum cor sincérum
sola fides súfficit.

* Tantum ergo sacraméntum
venerémur cérnui,
et antíquum documéntum
novo cedat rítui;
præstet fides supleméntum
sénsuum deféctui.

Genitóri Genitóque
laus et iubilátio,
salus, honor, virtus quoque
sit et benedíctio;
procedénti ab utróque
compar sit laudátio. Amen.

Sacris sollemniis

193. Sacris sollémniis iuncta sint gáudia,
et ex præcórdiis sonent præcónia;
recédant vétera, nova sint ómnia,
corda, voces et ópera.

Noctis recólitur cena novíssima,
qua Christus créditur agnum et ázyma
dedísse frátribus iuxta legítima
priscis indúlta pátribus.

Dedit fragílibus córporis férculum,
dedit et trístibus sánguinis póculum,
dicens: « Accípite quod trado vásculum;
omnes ex eo bíbite ».

Sic sacrifícium istud instítuit,
cuius offícium commítti vóluit
solis presbýteris, quibus sic cóngruit,
ut sumant et dent céteris.

* Panis angélicus fit panis hóminum;
dat panis cǽlicus figúris términum.
O res mirábilis: mandúcat Dóminum
servus pauper et húmilis.

Te, trina Déitas únaque, póscimus;
sic nos tu vísitas sicut te cólimus:
per tuas sémitas duc nos quo téndimus
ad lucem quam inhábitas. Amen.

VERBUM SUPERNUM

194. Verbum supérnum pródiens
nec Patris linquens déxteram,
ad opus suum éxiens
venit ad vitæ vésperam.

In mortem a discípulo
suis tradéndus ǽmulis,
prius in vitæ férculo
se trádidit discípulis.

Quibus sub bina spécie
carnem dedit et sánguinem,
ut dúplicis substántiæ
totum cibáret hóminem.

Se nascens dedit sócium,
convéscens in edúlium,
se móriens in prétium,
se regnans dat in prǽmium.

* O salutáris hóstia,
quæ cæli pandis óstium,
bella premunt hostília:
da robur, fer auxílium.

Uni trinóque Dómino
sit sempitérna glória,
qui vitam sine término
nobis donet in pátria. Amen.

IESU, NOSTRA REDEMPTIO

195. Iesu, nostra redémptio,
amor et desidérium,
Deus creátor ómnium,
homo in fine témporum,

Quæ te vicit cleméntia,
ut ferres nostra crímina,
crudélem mortem pátiens,
ut nos a morte tólleres;

Inférni claustra pénetrans,
tuos captívos rédimens;
victor triúmpho nóbili
ad dextram Patris résidens!

Ipsa te cogat píetas,
ut mala nostra súperes
parcéndo, et voti cómpotes
nos tuo vultu sáties.

Tu esto nostrum gáudium,
qui es futúrus prǽmium;
sit nostra in te glória
per cuncta semper sǽcula. Amen.

ÆTERNE REX ALTISSIME

196. Ætérne rex altíssime,
redémptor et fidélium,
quo mors solúta déperit,
datur triúmphus grátiæ,

Scandis tribúnal déxteræ
Patris tibíque cǽlitus
fertur potéstas ómnium,
quæ non erat humánitus,

Ut trina rerum máchina
cæléstium, terréstrium
et inferórum cóndita;
flectat genu iam súbdita.

Tremunt vidéntes ángeli
versam vicem mortálium:
culpat caro, purgat caro,
regnat caro Verbum Dei.

Tu, Christe, nostrum gáudium,
manens perénne prǽmium,
mundi regis qui fábricam,
mundána vincens gáudia.

Hinc te precántes quǽsumus,
ignósce culpis ómnibus
et corda sursum súbleva
ad te supérna grátia,

Ut, cum rubénte cœ́peris
claróre nube iúdicis,
pœnas repéllas débitas,
reddas corónas pérditas.

Iesu, tibi sit glória,
qui scandis ad cæléstia,
cum Patre et almo Spíritu,
in sempitérna sǽcula. Amen.

Lauda, Sion

197. Hæc sequentia cantatur vel integra vel forma breviore, inde a verbis: * Ecce panis, p. 61.

Lauda, Sion, Salvatórem, lauda ducem et pastórem
in hymnis et cánticis.
Quantum potes, tantum aude: quia maior omni laude,
nec laudáre súfficis.
Laudis thema speciális, panis vivus et vitális
hódie propónitur.

Quem, in sacræ mensa cenæ, turbæ fratrum duodénæ
datum non ambígitur.
Sit laus plena, sit sonóra, sit iucúnda, sit decóra
mentis iubilátio.
Dies enim sollémnis ágitur, in qua mensæ prima recólitur
huius institútio.
In hac mensa novi Regis, novum Pascha novæ legis
Phase vetus términat.
Vetustátem nóvitas, umbram fugat véritas,
noctem lux elíminat.
Quod in cena Christus gessit, faciéndum hoc expréssit
in sui memóriam.
Docti sacris institútis, panem, vinum in salútis
consecrámus hóstiam.
Dogma datur christiánis, quod in carnem transit panis,
et vinum in sánguinem.
Quod non capis, quod non vides, animósa firmat fides,
præter rerum órdinem.
Sub divérsis speciébus, signis tantum, et non rebus,
latent res exímiæ.
Caro cibus, sanguis potus: manet tamen Christus totus,
sub utráque spécie.
A suménte non concísus, non confráctus, non divísus:
ínteger accípitur.
Sumit unus, sumunt mille: quantum isti, tantum ille:
nec sumptus consúmitur.
Sumunt boni, sumunt mali: sorte tamen inæquáli,
vitæ vel intéritus.
Mors est malis, vita bonis: vide paris sumptiónis
quam sit dispar éxitus.
Fracto demum sacraménto, ne vacílles, sed meménto,
tantum esse sub fragménto, quantum toto tégitur.
Nulla rei fit scissúra: signi tantum fit fractúra:
qua nec status nec statúra signáti minúitur.

* Ecce panis angelórum, factus cibus viatórum:
  vere panis filiórum, non mitténdus cánibus.
In figúris præsignátur, cum Isaac immolátur:
  agnus paschæ deputátur: datur manna pátribus.
Bone Pastor, panis vere, Iesu, nostri miserére:
  tu nos pasce, nos tuére: tu nos bona fac vidére
  in terra vivéntium.
Tu, qui cuncta scis et vales: qui nos pascis hic mortáles:
  tuos ibi commensáles, coherédes et sodáles
  fac sanctórum cívium.

Adoro devote

198. Adóro devóte, latens véritas,
te qui sub his formis vere látitas:
tibi se cor meum totum súbicit,
quia te contémplans totum déficit.

Visus, gustus, tactus, in te fállitur;
sed solus audítus tute créditur.
Credo quicquid dixit Dei Fílius:
nihil Veritátis verbo vérius.

In cruce latébat sola Déitas;
sed hic latet simul et humánitas.
Ambo tamen credens atque cónfitens
peto quod petívit latro pǽnitens.

Plagas, sicut Thomas, non intúeor;
meum tamen Deum te confíteor.
Fac me tibi semper magis crédere,
in te spem habére, te dilígere.

* O memoriále mortis Dómini,
Panis veram vitam præstans hómini,
præsta meæ menti de te vívere,
et te semper illi dulce sápere.

Pie pelicáne, Iesu Dómine,
me immúndum munda tuo sánguine,
cuius una stilla salvum fácere
totum mundum posset omni scélere.

Iesu, quem velátum nunc aspício,
quando fiet illud quod tam cúpio
ut, te reveláta cernens fácie,
visu sim beátus tuæ glóriæ? Amen.

Ubi caritas

199. Ant. Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.

℣. Congregávit nos in unum Christi amor.
℣. Exsultémus et in ipso iucundémur.
℣. Timeámus et amémus Deum vivum.
℣. Et ex corde diligámus nos sincéro.

Ant. Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.

℣. Simul ergo cum in unum congregámur:
℣. Ne nos mente dividámur, caveámus.
℣. Cessent iúrgia malígna, cessent lites.
℣. Et in médio nostri sit Christus Deus.

Ant. Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.

℣. Simul quoque cum beátis videámus
℣. Gloriánter vultum tuum, Christe Deus:
℣. Gáudium, quod est imménsum atque probum,
℣. Sǽcula per infiníta sæculórum.

Alii cantus in Liturgia Horarum exstantes, qui mysterium paschale Christi celebrant, ad libitum adhiberi possunt.

5. ANTIPHONÆ

200. O sacrum convívium, in quo Christus súmitur:
recólitur memória passiónis eius,
mens implétur grátia,
et futúræ glóriæ nobis pignus datur.

201. O quam suávis est, Dómine, spíritus tuus,
qui, ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres,
pane suavíssimo de cælo præstito,
esuriéntes reples bonis, fastidiósos dívites dimíttens inánes.

202. Ave, verum Corpus, natum ex María Vírgine,
vere passum, immolátum in cruce pro hómine,
cuius latus perforátum fluxit aqua et sánguine.
Esto nobis prægustátum mortis in exámine,
o Iesu dulcis, o Iesu pie, o Iesu fili Maríæ.

203. Ego sum panis vivus qui de cælo descéndi;
si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum;
et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

6. RESPONSORIA

204. Cenántibus illis, accépit Iesus panem, et benedíxit ac fregit, dedítque discípulis suis et ait: * Accípite et comédite: hoc est corpus meum.

℣. Dixérunt viri tabernáculi mei: Quis det de cárnibus eius, ut saturémur? * Accípite.

205. Ego sum panis vitæ: patres vestri manducavérunt manna in desérto et mórtui sunt; * Hic est panis de cælo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur.

℣. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. * Hic est.

206. Hoc agnóscite in pane, quod pepéndit in cruce; hoc in cálice, quod manávit ex látere. Accípite ítaque et édite corpus Christi; accípite et potáte sánguinem Christi. * Iam ipsi facti membra Christi.

℣. Ne dissolvámini, manducáte vínculum vestrum; ne vobis viles videámini, bíbite prétium vestrum. * Iam ipsi.

207. Unus panis et unum corpus multi sumus, * Omnes qui de uno pane et de uno cálice participámus.

℣. Parásti in dulcédine tua páuperi, Deus, qui habitáre facis unánimes in domo. * Omnes.

208. Homo quidam fecit cenam magnam, et misit servum suum hora cenæ dícere invitátis, ut venírent, * Quia paráta sunt ómnia.

℣. Veníte, comédite panem et bíbite vinum, quod míscui vobis. * Quia.

209. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: * Et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me.

℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus. * Et qui.

7. ORATIONES POST COMMUNIONEM

210. Deus, qui humánæ redemptiónis opus
per Unigéniti tui paschále mystérium implevísti,
concéde propítius,
ut, qui Christi mortem et resurrectiónem
in sacramentórum signis annuntiámus fidénter,
salvatiónis tuæ contínuum experiámur augméntum.
Per Christum.

211. Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, quos uno cælésti pane satiásti,
una fácias pietáte concórdes.
Per Christum.

212. Sanctíficet nos, quǽsumus, Dómine,
mensæ cæléstis participátio,
ut, per corpus et sánguinem Christi,
fratérnitas cuncta copulétur.
Per Christum.

213. Repléti cibo spiritális alimóniæ,
súpplices te, Dómine, deprecámur,
ut, huius participatióne mystérii,
dóceas nos terréna sapiénter perpéndere
et cæléstibus inhærére.
Per Christum.

214. Percipiéntes, Dómine, gloriósa mystéria
grátias tibi reférre satágimus,
quod, in terra pósitos,
iam cæléstium præstas esse partícipes.
Per Christum.

215. Súpplices te rogámus, omnípotens Deus,
ut, quos tuis refícis sacraméntis,
tibi étiam plácitis móribus dignánter deservíre concédas.
Per Christum.

216. Deus, qui nos de uno pane et de uno cálice
partícipes esse voluísti,
da nobis, quǽsumus, ita vívere,
ut, unum in Christo effécti,
fructum afferámus pro mundi salúte gaudéntes.
Per Christum.

217. Pane mensæ cæléstis refécti,
te, Dómine, deprecámur,
ut hoc nutriméntum caritátis corda nostra confírmet,
quátenus ad tibi ministrándum in frátribus excitémur.
Per Christum.

218. Grátias tibi, Dómine,
reférimus sacro múnere vegetáti,
tuam cleméntiam implorántes,
ut, per infusiónem Spíritus tui,
in quos cælestis cibi virtus introívit,
in iis sinceritátis grátia persevéret.
Per Christum.

219. Unívs panis alimónia refécti,
supplíciter te, Dómine, deprecámur,
ut nos in tua iúgiter caritáte confírmes,
et in novitáte vitæ concédas ambuláre.
Per Christum.

Tempore paschali:

220. Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde,
ut, quos sacraméntis paschálibus satiásti,
tua fácias pietáte concórdes.
Per Christum.

221. Ab omni nos, quǽsumus, Dómine,
vetustáte purgátos,
sacraménti Fílii tui veneránda percéptio
in novam tránsferat creatúram.
Per Christum.

222. Omnípotens sempitérne Deus,
qui ad ætérnam vitam in Christi resurrectióne nos réparas,
fructum in nobis paschális multíplica sacraménti,
et fortitúdinem cibi salutáris nostris infúnde pectóribus.
Per Christum.

223. Alia oratio post Viaticum:

Dómine, qui es salus ætérna in te credéntium,
præsta, quǽsumus, ut fámulus tuus N.,
cæléstí pane potúque reféctus,
in regnum lúminis et vitæ secúrus pervéniat.
Per Christum.

8. ORATIONES
AD BENEDICTIONEM SANCTISSIMI SACRAMENTI

224. Tríbue nobis, Dómine Deus,
ut qui Iesum Christum
pro nobis natum ex Vírgine María et in cruce passum,
sub sacraménto præséntem esse crédimus et confitémur,
ex hoc divíno fonte hauriámus perpétuæ salvatiónis efféctum.
Per Christum.

225. Da nobis, quǽsumus, Dómine Deus,
Agnum, qui pro nobis occísus est,
in sacraménto laténtem dignis láudibus celebráre,
ut eúndem in glória maniféstum contemplári mereámur.
Qui vivit.

226. Deus, qui nobis panem de cælo verum dedísti,
præsta, quǽsumus, ut, spiritális aliménti virtúte,
et semper in te vivámus
et in novíssimo die gloriósi resurgámus.
Per Christum.

227. Corda nostra, Dómine, fídei lúmine collústra,
et caritátis igne succénde,
ut, quem in hoc sacraménto
Deum ac Dóminum nostrum agnóscimus,
in spíritu et veritáte fidénter adorémus.
Qui vivit.

228. Sacraménta, Dómine,
quibus nos instauráre dignáris,
corda nostra amóris tui rêpleant dulcédine,
et ad ineffábiles regni tui divítias tríbuant aspiráre.
Per Christum.

229. Deus, qui pascháli Christi mystério
univérsos hómines redemísti,
consérva in nobis opus misericórdiæ tuæ,
ut, nostræ salútis mystérium iúgiter recoléntes,
eiúsdem fructum cónsequi mereámur.
Per Christum.

INDEX CANTUUM ALPHABETICUS

INDEX

HOC VOLUMEN
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
EXCUSUM EST
IMAGINEM INITIO VOLUMINIS POSITAM
IOANNES ALOISIUS UBOLDI
DELINEAVIT